



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Torneamentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

nondum doli capacibus; *fac. l. un. C. de fals. mon. l. 7. ff. ad Leg. Corn. de sicar. c. de illis. despons. impub. furiosis, d. Clem. un. c. nec is. II. §. I. c. illud. §. itaque. c. aliquos. c. si quis insaniens. 15. qu. I. dormientibus. d. Clem. un. Ratio ibi. & c. majores. §. verum. de baptismo.*

Hoc, quia fato quodammodo imputatur, extra noxam est. *c. latro. 9. hic. c. si qui arborem. & seq. dist. 50. c. nec is. c. si quis. 15. qu. 5. c. de occidendis. 23. qu. 5. c. clerico. c. cum qui. dist. 50.* Nisi forte culpa casum præcesserit: Hac enim specie homicidium à Iure Civili punitur, sed mitius: *l. 1. §. sed si. l. 4. §. I. ff. ad leg. Corn. de sicar. l. si putator. 31. ff. ad l. Aquil. & Canonico irregularitate notatur: c. continebatur. 8. c. ad audientiam. 12. hic. c. hi qui. dist. 50.* sicut & si dum rei illicitæ opera dabatur, casus incidere. *d. c. continebatur. 8. c. suscepimus. 10. c. pen. & ult. hic.*

Necessarium homicidium est, quod ob necessariam corporis defensionem, citra vindictæ imaginem, fit.

Hoc non punitur: *Clem. un. hic.* licet Cardinalis sit occisus: *c. felicitis. de pœnis. in 6.* Cum vim vi repellere, omnia jura permittant. *c. significasti. 18. circ. fin. hic. c. 3. §. si verò. de sent. excom.*

Qui socio opem tulit, quem alius occidere volebat, & aggressorem occidit, excusandus videtur; alioquin enim & ipse esset reus mortis ejus si omisisset defensionem, & si, cum posset defendere, non fecisset. *c. non in. 23. qu. 3. c. sicut dignum. §. & illi etiam. hic. c. I. & can. error. dist. 13.*

De Torneamentis.

TIT. XIV.

Non solum homicidium jure prohibetur, sed etiam ea per quæ ad homicidia perveniri solet, ut sunt, *torneamenta, duella, ars sagittariorum.*

Torneamenta sunt nundinæ vel feræ, in quibus milites

ex

ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ, temere congregari. *c. felicis. 1. hic.*

Quæ hoc Iure, non Civili, *l. solent. l. in quibus. ff. de aleator.* sunt prohibita: adeò ut, si quis forte in iis sit interfectus, non tantum occidens pœnâ homicidii voluntarii puniatur; sed & occisus. licet enim vulnerato concedatur pœnitentia, tamen, si moriatur, Ecclesiasticâ sepulturâ carebit: nisi casu sit occisus, cum non ludendi causâ ad torneamenta venerit. *c. 1. & c. hic.*

De Duellis.

TIT. XV.

Duellum, est singulare certamen. Græco vocabulo *monomachia* vocatur: *c. monomachiam. 2. qu. 4. c. 1. & 2. hic.* ad veritatem occultam eruendam olim adhiberi solitum.

Hoc, Jure Canonico, prohibetur: *d. c. monomachiam. & c. 1. 2. de purg. vul.* quia multi per pugnam sine justa causa, causam suam perdiderunt: & quia Deus, quod fieri non debet, *c. quare. 22. qu. 2.* hâc pugnam tentatur. *c. Menam. 2. qu. 5.*

Clericus hoc per se, vel per alium, sponte offerens, vel oblatum, sponte, vel iudice præcipiente, non invitus, suscipiens, punitur. *c. itane. 32. qu. 5. c. ita faciat. 22. qu. 2.* Excusatur, si invitus, cum aliàs forsan evadere, vel res suas salvare non possit, suscipiat. *c. interfecisti. de homicid. Innoc. in c. porro. si Clericus. 1. hic.*

Pœna Clerici duellum sponte offerentis, vel oblatum susipientis, irregularitas est, & depositio; nisi, morte vel membri mutilatione non secutâ, cum eo misericorditer dispensetur. *d. c. 1. & 2. hic.*